

Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe


Disputatio Theologica De Simplicitate Catechetica

**Zentgraf, Johann Joachim
Stromeyer, David**

Argentorati, 1699

VD17 VD17 12:171294M

[urn:nbn:de:bsz:31-130697](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-130697)



60 A 2691,1

EX
BIBLIOTHECA
ILLUSTRIS
CAROLI HESYCHEI.

657/23

46
Q. D. B. V.
DISPUTATIO THEOLOGICA

DE
SIMPLICITATE
CATECHETICA,

deducta

^{ex}
Ebr. V, 12.

QUAM

ADJUVANTE VERO DEO TRINUNO

In Inclÿta Argentoratensium Academia,

P R E S I D E

VIRO Maximè Reverendo, Amplissimo, & Excellentissimo,

DN. JOHANNE JOACHIMO
ZENTGRAVIO,

SS. Theol. D. ejusdemque Professore P. Ord.

Capit. Thom. Canon. & Ecclesiae,

*Dn. Patrono, & Praeceptore suo atatem
deveniendo,*

Ad diem Januarij, Anno M DC XCIX.

Solenni Eruditorum examini submittit

M. DAVID STROMEYER, Ulmenf.



ARGENTORATI,

Typis JOHANNIS FRIDERICI SPOOR.

1699

V I R O
PER-ILLUSTRI, atq; GENEROSISSIMO,
DN. GEORGIO FRIDERICO SCHERTEL.
de Burtenbach in Mauren,

S. Cæsar. Majestatis, atque Serenissimi Ducis Württembergici Con-
filiario, Dicasterii Aulici Præsidi, Illustris Principum Collegii,
quod Tubingæ est, Supremo Ephoro, Districtusque Tubingensis Præfecto
Superiori, nec non Immediatæ Imperii Nobilitatis Suevicæ
ad Nicrum Sylvamque Hyrciniam Directori,
Gravissimo, Eminentiſſimo, &c.

Domino, Mæcenati, atq; Patrono suo Gratioso.

Ut &

V I R I S
MAGNIFICIS, NOBILISSIMIS,

AMPLISSIMIS, PRUDENTISSIMIS,

DN. FRANCISCO KEJSESEN

Reipublicæ Argentoratensis Consulari, Tredecimviro, &
Universitatis Scholarchæ meritissimo.

DN. JACOBO WENCKERO, Reip. Argent.

Consulari, & Tredecimviro Splendidissimo.

DN. JOH. REINBOLDO FRIDERICI,

Reipubl. Argent. Consulari, & Universitatis Scholarchæ
Gravissimo.

*Viris de Inchyta Argentoratensium Republica undiquaque
meritissimis,*

*DNN. Mæcenatibus, atq; Patronis suis
summo observantiæ & honoris cultu suscipiendis,*

Dissertationem hanc Theologicam, in Gratitudinis
Devotæ Symbolum, & studiorum suorum ulterio-
rem commendationem

offert, & consecrat

M. DAVID STROMEYER, Ulm.

LECTORI BENEVOLO

S. D.

EXERCITII PRÆSES.

Sapienter cœlestis Doctor, *JESUS CHRISTUS*,
ἄνευ, inquit, Φοβηταὶ ὡς αἱ ὄφεις, καὶ ἀνεφύονται ὡς αἱ κολυβάδες, estote
prudentes sicut serpentes, & simplices sicut columba. Matth. 10, 16. Ver-
borum horum sensum an recte, & satis assequantur illi, quorum
symbolum est: *Callide, sed candide*: merito dubitatur. Serpentina enim
prudentia à Christo commendata calliditatis nomine venire non debet;
cum non recte tantum sentire, sed & congrue loqui debemus, nec virtuti
à Christo præceptæ vitii nomen tribuere; Sapientiam carnalem simplici-
tas à Salvatore commendata excludit, non prudentiam Christianam, nec
studium discendi ea, quibus obviam eamus prudenter fallacis, quæ Ec-
clesiæ, & religionis orthodoxæ puritati, piorumque & fidelium incolumi-
tati struuntur. Quæ vero illa in serpentibus ad imitandum proposita
prudentiæ imago; quæve in columba simplicitatis species sit, quam pruden-
ter ambulaturi ob oculos positam habere debemus, B. Chytraus Regg. Vit.
p. 304. verba Christi ex Matth. 10, 16. pie considerans, docet: *Serpentes, in-*
quit, in conspectu caput gyris reliqui corporis muniunt: Ita nos in certaminibus, ca-
pus, videlicet veram agnitionem, & fidem Christi tueamur. Columba est sine felle,
gemit, rostro non ladit, & unguis possidet innocuos, puræque grana legit. Talis etiam
fit in doctrina, & moribus piorum sinceritas, innocentia, & puritas. Vera in Chri-
stum fides, & salutaris ejus agnitio fudes est, semperque fuit in oculis
Diaboli, quam proinde, variis doctrinæ corruptelis nunquam non cor-
rumpere, hæreticarum fabularum impietate pervertere, tyrannorum de-
nique furore mentibus hominum excutere laborat. Quæsit hoc, qui
primus in Christianos ferrum strinxit Nero: Tentarunt hoc, qui inter
Syncretistas novi Testamenti primi fuerunt *Pseudo-Apostoli*, legem cum
Evangelio commiscentes, Judaismi cum Christianismo conciliationem for-
ris præ se ferentes, hujus autem destructionem revera per restitutum cir-
cumcisionis ritum intendentes. Serpentina hic opus erat prudentia,
quo præcipuum hoc religionis Christianæ caput, quod *ex lege non esset ju-*
stitia, sollicitè munitum incorruptum conservaretur; & *Pseudo-Apostolica*
justitia, faciem licet Evangelicæ cujusdam, Evangelico-Legalis nimirum
justitiæ

justitiæ præ se ferret, quod vere tamen mere legalis foret, Rom. 11, 6. Gal. 5, 4. doceretur. Præcipit proin Apostolus, muniens Philippenfes suos ad versus Pseudo-Apostolorum artes, ut *probent, quæ præstant, quo sint sinceri, & inoffensi in diem usq; Christi, c. 1. v. 10.* Non genuina enim hæc jure audit simplicitas, quæ temere & sine prudentia, ac circumspeditione, statim cui-libet traditioni fidem adhibet; multo minus Christiana illa dici debet, Quam Columbinam licet esse velit Salvator, prudentia tamen Serpentina, h. e. folicita, & prudenti circumspeditione, eam simul temperatam esse debere, innuit. Magistri secutus disciplinam fidelis discipulus, Ephesios suos hinc ita monuit, Eph. 5, 15. *Videte, quomodo accurate ambuletis, non ut insipientes, sed ut sapientes.* Hujus generis simplicitas, qua non sumus insipientes, sed intelligentes, qua sit voluntas Domini, etiam est SIMPLICITAS CATECHETICA, quæ non solum non duplex est, aliud loquens, aliud sentiens; sed nec compendiaria, in Syncretistarum, & Indifferentistarum gratiam, necessario cum prudentia serpentina sit conjuncta, cum dissertatio sequens docere intendat, debita laude omnino prosequendus est, *Vir Juvenis præcellens, & doctissimus* DN. M. DAVID STROMEYERUS, Ulmensis. Hic cum in diversis Germaniæ Academiis, post eximie jacta in florentissimo Patriæ Athenæo, solidioris doctrinæ fundamenta, SS. Theologiæ incubuisset, Tubingâ ad nos perrexit, continuaturus sacrosanctum hoc studium etiam in nostra Academia, & secuturus exemplum Dnn. Patruorum, quorum alter DN. M. David Stromeyer, jam in Domino beate est defunctus; alter vero Vir plur. Reverendus, Præcellens, & Præclarissimus DN. M. Carolus Ludovicus Stromeyerus, verbi divini in Ecclesia Ulmensi Minister longe meritissimus, & Consistorij Maritim. assessor gravissimus, olim amicus meus & commilito in hac Argentoratensi, & Wittebergensi Academia conjunctissimus, Fautor jam, Patronus, & in Christo frater honoratissimus, per DEI gratiam multo Ecclesiæ patriæ bono adhuc vivit. Cumque laudabili Zelo erga conservationem purioris doctrinæ doctissimus fertur Juvenis, abhorrens à Syncretismo, qui simplicitatem fidei semper in ore habet, eamque, Catechetica inprimis, urget; quæ genuina sit, in auditorio Theologico respondendo defendere in se suscepit, temporis, & studii sui Theologici rationem, iis, quibus debetur, redditurus, & ulteriori Patronorum favori se dignum, ut diligentia & pietate hætenus fecit, redditurus. Id ut feliciter fiat, & cum applausu, faxit DEUS!



I. N. D. N. J. C.

DE

SIMPLICITATE CATECHETICA.

S. 1.



Sapienter *Lactantius* l. 4. c. 4.

insipiens, inquit, servus est, qui dominum suum aut fugiat, aut nesciat: & impius filius, qui suum verum patrem vel oderit, vel ignoret. Et Dominus noster, & Pater, DEUS est: cujus nos genuit esse, & à DEO productos, etiam

Gentilis Poëta *Aratus*, à *Paulo* allegatus, A&.17,28. agnovit, ita locutus: Τὸ γὰρ καὶ ἡμεῖς ἐσμὲν, ipsius enim progenies sumus; οἷον ἀνημιγενεῖα, nempe creatione, explicante *Clemente Alexandrino*, *Stromat.* f.m. 579. Non vero communi tantum, & ratione quadam generali, ex jure creandi, & creationis, Providentiæ etiam beneficio exorta ratione, Dominus & Pater noster DEUS audit; sed & quod ex semine verbi veritatis nos genuit, ut essemus primitia quadam suarum creaturarum, *Jacob.* 1, 18. h.e. explicante *B. Hornejo* *Comm. h.l. portio selectissima totius humani generis; filii & hæredes vitæ æternæ, Rom.* 8, 17. *Tit.* 3, 5. sqq. Vult hinc *Apostolus*, ut impleti agnitione divina voluntatis ἐν πάσῃ σοφίᾳ, καὶ σωτέον πνευματικῇ, in omni sapientia, & prudentia spiritali, ambulemus digne domino, ut per omnia placeamus, ἐν παντί ἔργῳ ἀγαθῷ καρποφοροῦντες, καὶ αὐξανόμενοι εἰς τὴν ἀγνοῶσιν τοῦ Θεοῦ, in omni opere bono fructificantes, & crescentes in agnitionem DEI, *Col.* 1, 10. Hic vero nausea quadam multos laborare videas, qui sublimitatem rerum divinarum, & difficultatem illas cognoscendi præ se ferentes, sumorum doctrinæ Christianæ capitum confusa, generali, nec satis distincta, imo nec omnium necessariorum cognitione contenti, in simplicitate sua

A Cate-

Catechetica se acquiescere, & acquiescere velle ajunt; etsi homine nil dignius sit, quam ut in cognitione rerum divinarum majores indies faciat profectus.

§. 2. Aliter non Colossenses tantum, ut vidimus, sed & Ebræos suos hic se gerere Apostolus voluit. Improbat enim in his, quod cum pro temporis ratione doctores esse debeant, rursus opus babeant, ut doceantur, quæ sint Elementa inity eloquiorum DEI: Facti similes illis, quibus lacte opus, non solido cibo. Græcus textus ita se habet: Καὶ ὃ ὀφείλοντες εἶναι διδάσκαλοι καὶ ἄρχόντων, πάλιν χρεῖαν ἔχετε τῆς διδασκείας ὑμῶν ἵνα τὰ στοιχεῖα τῆς ἀρχῆς τῆς λογίας τῆς Θεῆς, καὶ γίνωνται χρεῖαν ἔχοντες γάλακτος, ἕως ἡμερῶν τῆς ἁριστερίας. Cui loco addimus verba c. 6. v. 1. Διὸ ἀφίντες τὴν ἀρχῆς τῆς χειρὸς λόγον, ὅτι τὴν τελειότητα φερόμεθα, qua proprie omisso qui in Christo rudes inchoat sermone, ad perfectionem seramur. Quibus sane verbis, ceu ostendemus, prætentam istam simplicissimam Catechetica non probat.

§. 3. Prolixiori autem ἀναλύσει, & ἐξηγήσει horum dictorum omissa, hac vice disquisemus, quænam, & qualia sint τὰ στοιχεῖα τῆς ἀρχῆς τῆς λογίας τῆς Θεῆς, elementa inity sermonum DEI, quæ & γάλα lac dicuntur. Proin notamus, quod de elementis credendorum στοιχεῖα hæc τῆς ἀρχῆς τῆς λογίας τῆς Θεῆς intelligant Patres, & prisca Ecclesiæ Doctores. Sic enim B. Theodoretus, doctissimus Cyrensiensis Episcopus, tom. III, opp. Comm. in Ep. ad Ebr. ad nostrum notat locum: στοιχεῖα, inquit, τῆς ἀρχῆς τῆς λογίας τῆς Θεῆς οὗτοι ταπεινοὶ καὶ ἄπειροι ἐν τῇ χειρὸς λόγος ἐκάλεισεν. πῶς ὃ μὴ δέσσει τὴν πίσιν ἐγρηγόρει τελείαν, τὰ πρὸς τὴν ἀνθρώπινην πρὸς φερον μόνον τὴν ἀληθείας οἱ κήρυκες. Οὕτως ὁ μακάριος Πέτρος ἐν Ἰουδαίῳ δημηγοροῦν, ἐμέτρησε τὴν διδασκαλίαν τῆς ἀποδείξεως τῆς ἀκρίβειας Ἰησοῦν ὃν ἐφῆ τὸ Ναζωραῖον, ἀνδρα ἡμῶν τῆς Θεῆς ἀποδείξεως εἰς ὑμᾶς, Elementa exordij sermonum DEI vocavit humiliores de Christo sermones. Is enim qui nondum fidem perfectam habebat, ea sola qua ad humanitatem pertinent exponebat veritatis præcones. Ita B. Petrus concionem habens ad Judæos, auditorium inbecillitati doctrinam accommodavit. Jesum enim inquit Nazarenum, virum approbatum à DEO in vobis. Consentit B. Chrysostomus ad Ebr. homil. 8. h. l. monens, quod sicut in literis secularibus

primum elementa discuntur, sic etiam primo tunc ea didicerint (Ebræi) quæ ad humanitatem Christi pertinebant. Eadem est Theophylacti h.l. interpretatio. Elementa, inquit, στοιχεῖα, Christi humanitatem dicit (Apostolus.) Nam quemadmodum cum literis danda est opera, primum elementa ipsa sunt perdiscenda; sic & hoc loco Christi humanitatem fuissent hi edocendi, & assuescendi minoribus, ut postmodum ad majora, & divinitatem ipsam progredierentur, qua sane mentem exigit perfectiorem. De quo tamen quid habendum, in sequentibus videbitur.

S. 4. Antequam PP. explicationi nostrorum Doctorum subjiciamus interpretationem, prius quæ sit de verbis his disciplina Romano Catholicorum exponemus. Ex his Cajetanus, Cardinalis, in Enarrat. Epist. ad Ebr. h.l. Elementa, inquit, in qualibet scientia appellantur principia illius, sicut elementa grammaticæ literæ. Elementa itaq; sermonum DEI sunt ea principia, quæ docemus Catechumenos. Non abit Gabriel Vazquez in Paraphras. Epist. ad Ebr. h.l. cui στοιχεῖα hæc dicuntur prima rudimenta Christiana fidei, quæ contradistinguit perfectioni doctrinæ Evangelicæ. Idem Corn. à Lapide notat h.l. cui Elementa ista sunt rudimenta doctrinæ Christianæ, & divinæ, quæ Catechumeni docentur, & discunt. Consentit, ceu in re non adeo difficili, cum suis Estius in Comment. ad h.l. Igitur, ait, elementa exordij sermonum DEI vocat (Apostolus) rudimenta, à quibus initium sumitur instituendi hominis in doctrina sacra, quorum aliquot exempla refert Apostolus sub initium capitis sequentis ab eo loco: Non rursus jacentes fundamentum penitentia ab operibus mortuis.

S. 5. Reformatos quod attinet, ipse non solum Calvinus Comment. h.l. prima Catechismi rudimenta, elementarem scilicet doctrinæ Christianæ, initiandis rudibus accommodatam explicationem, atque traditionem, per τὰ στοιχεῖα τῶν ἀρχῶν τῶν λόγων τῶ Θεοῦ intelligit; sed & Franciscus Junius Comment. Epist. ad Ebr. h.l. huc collimat, cum observandum est, inquit, elegantissime à rebus naturalibus & physicis axiomatis transferri cõmodas appellationes ad doctrinam Christi. Nam quemadmodum in rebus creatis alia sunt principia simplicissima; alia vero materialia, quæ elementa appellantur, ex quibus res omnes materiata existunt; sic in

rebus sacris, & mysterio doctrinae Christi, genus ab Apostolo ponitur, quum dicuntur eloquia DEI: Horum principium constituitur, & principij hujus elementa, id est summa quadam, & crassissima (ut ita dicamus) capita, ex quibus reliquum doctrinae Christianae corpus, ut ex elementis corpora, conformatur. At Jacobus Cappellus, in observat. ad N. T. h. l. p. 153, sq. cum monuisset, quod malit verba nostra vertere: *Quanam sint prima elementa oraculorum DEI: σοιχεῖα & ἀρχαί* etiam pro *πρώτοι σοιχεῖα*, per Hebraismum posita censet; atque ista elementa notare credit typos ceremoniales, ad quorum observationem Hebraei plerique, licet Christianissimum amplexi, redibant.

§. 6. Evangelicos denique invariata A. C. amplexos ut audiamus, ex illis B. D. Aegid. Hunnius Comm. h. l. similitudinem, qua Apostolus utitur, summat esse affirmat à pueris alphabetariis, qui prima rudimenta literarum addiscunt; & notare pedagogicam institutionem, qua prima elementa, & rudimenta quasi Christianae Professionis eloquiorum DEI proponuntur. Non dissentit à B. Antecessore suo B. Balduinus disp. VI. in Ep. ad Ebr. ad l. c. elementa, de quibus Apostolo sermo, Catecheticam doctrinam, & prima fidei rudimenta significare notans. B. D. Sebast. Schmidius noster Comm. h. l. ad consensum Interpretum provocat, quos τὰ σοιχεῖα, elementa, esse prima Christianismi capita, prima rudimenta, ex quibus praecipua saltem nominantur cap. 6. v. 1. 2. & pueris atque Catechumenis proponi solent, consentienter annotare observat. Eadem habent aliorum commentationes, quas coaccervare nec opus est, nec praesentis instituti.

§. 7. Bene vero se habet, quod plerorumque tam vetustiorum, Patrum scilicet Ecclesiae, quam illorum qui longe sunt recentiores, Interpretum explicatio (1) per σοιχεῖα intelligat elementa Catechetica, quae rudioribus ab initio proponuntur, quibus fundamentalia, & scitu creditaque ad salutem necessaria capita fidei, & religionis Christianae, continentur. Dicitur alias σοιχεῖον prima & propria significatione Latinis elementum, & usurpatur ab Aristotele, cum alibi, tum de Gen. & Corr. l. 2. c. 4. de igne, aëre, aqua, quae Philosopho σοιχεῖα appellantur. Haec cum mixtorum constitutionem

ingre-

(1)
σοιχεῖα

ingrediantur, & illorum primordia & initia sint, ex quibus etiam constant; per translationem hinc, uti aliarum rerum primordia & rudimenta elementa appellantur, v. c. elementa Grammatica, Logica, ita & prima rudimenta, doctrinæque Christianæ capita, quæ & Catechetica audiunt, elementa dicuntur. Loqui itaque sic censemus Apostolum, prima Christianæ doctrinæ capita, & rudimenta στοιχείων appellando, ut ad elementa doctrinalia, & prima aliorum disciplinarum rudimenta potius respiciat; quæ plerorumque Interpretum etiam est sententia; quam ut à rebus naturalibus, elementis scil. physicis, quæ corporum compositorum constitutionem ingrediuntur, hanc loquendi formulam petat, uti Junius quidem h. l. τὰ στοιχίαι explicatum ivit: Quasi quemadmodum ex στοιχείοις, elementis, Aristotelicis scil. corpora conformantur, ita ex his summis capitibus reliquum doctrinæ Christianæ corpus constituatur. Licet enim de re ipsa loquendo hoc verum sit, cum pars doctrinæ Christianæ, licet minus plene explicatæ, etiam sint capita religionis nostræ Catechetica; hoc tamen sensu, & ad hoc significandum, Paulum voce στοιχείων uti non censemus. Minus simplex enim hæc est interpretatio præ illa, qua, sicut prima alicujus doctrinæ rudimenta, à quibus illius in docendo & discendo initium fit, στοιχίαι appellari solent, ita etiam prima Christianæ institutionis rudimenta genuina, similiter στοιχείων nomine veniunt, uti doctissimos quosque Interpretes sentire, supra vidimus. Constat satis, Euclidem στοιχίαι elementa Geometrica, sive doctrinæ Geometricæ elementarem institutionem tradidisse. Definiuntur autem hæc στοιχίαι, atque elementa, à Cunrado Dasypodio, incomparabili quondam in Academia nostra Mathematico, Comment. in Euclid. Elem. c. 4. quod sint propositiones, quarum contemplatio inservit, & necessaria est ad omnium aliarum rerum cognitionem & scientiam: quibus etiam solemus uti in resolvendis ipsis rebus: & ad quæ extremo pervenitur. In Præfat. idem Dasypodius dixerat, ex his στοιχείοις, tanquam uberrimo fonte, omnem latitudinum, longitudinum, & altitudinum, sive profunditatum dimensionem oriri, quæ agrorum, insularum, montium, cæterorum locorum & intervallo-
 rum in-

quisitioni inserviat. Pari modo prima religionis & fidei Christianæ rudimenta, atque Institutiones Catecheticæ, sunt illa capita Christianismi, & ejusmodi veritates Theologicæ, quæ rudibus primo omnium proponi debent, à quibus in discendo & cognoscenda doctrina Christiana, initium faciendum est, ut inde ulterior progressus fiat ad sublimiora addiscenda. Duplicem, ut rursus *Dasypodius* loquitur *Comm. cit. c. 3. Euclides in suis elementis scopum habuit: Alter pertinebat ad res subiectas; alter ad Geometria studiosos. Cum enim prima & simplicissima elementa figurarum & magnitudinum explicare in animo habuerit, eam ob causam incipit à simplicissimis. Præparare etiam eum, qui elementa hæc bene percepit, voluit, ad facillime omnium geometrarum scripta intelligenda, quod sine his fieri nequit, ut quispiam geometrarum libros intelligat, cum ex his tanquam primis, dependeant omnes demonstrationes. Idem cum scopus veritatum Theologicarum Catecheticarum sit, ut addiscendæ Theologiæ acroamaticæ eodem modo inserviant, & proin etiam præmittantur; Paulus etiam subordinet doctorum scientiæ rerum Theologicarum, quam in Ebræis desiderabat, atque sublimiori doctrinæ, quam in hac Epistola tractat, illa doctrinæ Christianæ capita, quæ in ratione & ordine docendi atque discendi, rudibus atque pueris proponi solent; patet recte hæc *σχῆματα* nomine venire, & ab Apostolo ita appellata esse, huncque etiam per *σχῆμα* rudem institutionem, & rudimenta religionis Christianæ, intellexisse.*

§. 8. Malunt equidem alii rudimenta religionis Christianæ, & capita fidei nostræ, quæ in Christiana disciplina rudioribus, initii loco, ad doctrinam nostram addiscendam proponi solent, *σχῆμα* ab Apostolo appellari, ducta metaphorā à re Grammatica, uti *B. D. Hunnius h. l.* vidimus notasse, similitudinem, qua Apostolus utitur, sumit am esse à pueris alphabetariis, qui prima literarum rudimenta addiscunt. Placet idem *Cameroni in R. ad qq. in Ep. ad Ebr. c. 5. v. 13. Opp. f. m. 402.* videturque id probare *Eduard. Leigh. Crit. S. N. T. voc. σχῆμα. p. 557.* Sic enim *Camerono: Posset responderi σχῆμα τῶ λόγων τῶ Θεοῦ, dici rudimenta religionis Christianæ, quæ σχῆμα dicuntur, ducta metaphorā à re Grammatica,*

in qua initium fit $\delta\omicron\tau\omicron$ $\tau\epsilon$ στοιχείων, ab elementis. Sunt autem elementa
 literæ, & syllabæ, & voces singulares, in quas oratio resolvitur: Nemp
 pe primum in voces, deinde in syllabas, deniq; in literas. Nec dissen
 tit ex Patribus Theodoretus, Comm. in Eb. 6. ψ . 2. sq. Licet
 vero id non negetur, quod uti in Geometria dantur certa
 quædam theoremata, prius cognoscenda, quæ elementorum
 loco sint, & ita dicantur, quod se in omnes Geometrarum
 propositiones diffundunt; ita in Grammaticis quoque ele
 menta dentur, ut sunt literæ, syllabæ & voces, ex quibus
 constat oratio: Attamen si Apostolum ad certæ disciplinæ
 elementa respicere censendum, non apparet, cur non resp
 exerit ad $\sigma\omicron\iota\chi\epsilon\iota\omicron\alpha$, prout in Geometria talia dantur, & Geo
 metrae hac voce utuntur, quam ad elementa Grammaticalia.
 Existimaverim etiam Cyrillum Hierosolymitan. ad hanc $\tau\epsilon$ $\sigma\omicron\iota\chi\epsilon\iota\omicron\alpha$
 $\kappa\epsilon\Phi\alpha\lambda\alpha\iota\delta\omicron\varsigma$ εισαγωγὰς, summa rudimentorum fidei capita, sumariam
 introductionem summa capita exhibentem; item $\epsilon\iota\sigma\alpha\gamma\omega\gamma\iota\kappa\alpha$
 $\mu\alpha\theta\eta\mu\alpha\tau\alpha$, introductiones institutionum, Catech. f. 26. 36. appella
 vit. Dogmata enim Catechetica, & prima Christianismi
 rudimenta, convenientius cum elementis Geometricis, defi
 nitionibus scil. & theorematibus præcognoscendis, compa
 rantur, quam cum elementis grammaticis, literis, & syllabis,
 quas nosse ante omnia debet puer literis operam navaturus:
 $\sigma\omicron\iota\chi\epsilon\iota\omicron\alpha$ nomine licet & hæc privari non debeant. Licet nil
 obstat, quo minus dicamus, Autorem Epistolæ ad Ebræos,
 utendo voce $\sigma\omicron\iota\chi\epsilon\iota\omicron\alpha$, ad nullius certæ disciplinæ $\sigma\omicron\iota\chi\epsilon\iota\omicron\alpha$ re
 spicere, cum in omni doctrina addiscenda hic ordo servari
 debeat, ut à primis rudimentis, quæ elementorum nomine
 veniunt, tam in docendo, quam in discendo, fiat initium:
 Ita ut hætenus & cum elementis Geometricis, & Gramma
 ticis, rudimenta Catechetica comparari possint. In omni
 quippe bono ordine instituendo id observandum est, ut à fa
 ciliores ad difficiliora veniatur. Annunt Chrysostomus &
 Theophylactus, supra allegati; ex Pontificiis Cajetanus, & alii.
 §. 9. Ut Cappelli commentum prolixè excutiamus,
 opus non est. Intelligit ille per $\tau\epsilon$ $\sigma\omicron\iota\chi\epsilon\iota\omicron\alpha$, elementa, ceu ver
 ba

ba ejus supra docuerunt, *typos ceremoniales*, ad quorum observati-
onem, ut necessariam ad salutem; Ebraei pleriq̄, Christianissimum licet
amplexi, redibant, quas ceremonias vocari ait *elementa mundi*, Gal.
4.3. Colof. 2.8. *infirmis*, & *egena elementa*, Gal. 4.9. Verum enim
vero, licet Patres verba hæc non eodem modo exposuerint, ceu
Augustini exemplo patet, ex lib. *Expos. Epist. ad Gal.* t. 6.
Opp. fallitur tamen Cappellus, si per *elementa mundi*, *typos ceremoni-*
ales tantum intelligendos esse censet; cum rectius univer-
sa lex Mosaica intelligatur. Hanc autem σοιχειών esse do-
ctrinæ Evangelicæ, vix probabit Cappellus, σοιχειώδης si licet
continuerit. Perperam præterea explicatur, quid σοιχειών
nostro in loco sit, per σοιχειών τῶ νόμου, de quo Gal. 4.3. Nam
aliud est σοιχειών τῶ λόγων τῶ Θεῷ, *elementum initij ser-*
monum DEI, de quo in præsentī disquirimus; aliud σοιχειών τῶ
νόμου, de quo Gal. 4.3. Στοιχεῖα quid sint Ebr. 5. 12. ex pli-
catur perspicue Ebr. 6. 1. cum doctrinæ Christianæ capita de
penitentia ab operibus mortuis, & fide in DEUM, de baptismo, de ma-
nuum impositione, mortuorum etiam resurrectione, hoc nomine nota-
verit Apostolus: Quæ sane ad legem ceremonialem, & typos
ceremoniales, referri non debent.

§. 10. Cæterum quod hæc σοιχεῖα, *elementa*, sint (2.)
doctrina & fidei Christianæ capita, ut sic dicam, *initialia*, quæ pri-
mo omnium rudibus catechizandis proponi debent, ita ut ab
illorum traditione, & explicatione, initium in docendo, &
discendo fieri debeat, inquitur per verba τῶ λόγων τῶ Θεῷ,
cum dicuntur *elementa initij sermonum DEI*. Vox enim ἀρχῶν,
initij, explicatur à nobis, intelligiturque de exordio, & initio
instituendi homines in doctrina religionis Christianæ, quæ
in eloquio DEI continetur, ut sit id, quod in informandis ru-
dioribus primo omnium doceri debet. Unde Hebraïssimum
hic dari ratus Estius, *elementa exordij* sic interpretatur, ac si di-
ceret Apostolus *elementa exordialia*. Nec displicet hoc Jacobo
Cappello, cujus produximus verba, qui σοιχεῖα ἀρχῶν dici putat
pro πρώτῃ σοιχεῖα, ita ut pro *elementa exordij sermonum DEI*, ma-
lit vertere, *prima elementa oraculorum DEI*. Sed cum fingendi
Hebraïsmi nullâ hic detur necessitas; etsi non male *elementa*
exordij.

(2.)
τῶ λόγων.

exordij, etiam elementa exordialia esse, & dici posse judicamus, prout etiam notum est, B nostrum Lutherum reddidisse die crisse Buchstaben; sensum tamen consecutivum potius, quam primum atque formalem, quam prior reddit $\epsilon\chi\theta\eta\sigma\iota\varsigma$, ista exprimit interpretatio. Quia enim elementa exordij, seu initij sunt, à quibus, ut explicat etiam Estius, initium sumitur homines instituendi in doctrina sacra; principia quæ docemus Catechumenos, notante Casetano; elementa, ut ex nostris B. D. Seb. Schmidius interpretatur, quæ sunt principium eloquiorum DEI, hoc est, quæ primo ex eloquiis DEI docenda sunt; recte etiam dicentur elementa, seu principia exordialia, atque prima, cum revera etiam talia sint: Sed ad hoc probandum, non necessario urgendus est, atque fingendus Ebraismus. Similiter substantive accipitur vox $\alpha\rho\chi\eta$ in loco parallelo, Ebr. 6, 1. ubi doctrina Catechetica dicitur $\delta\ \lambda\omicron\gamma\omicron\ \tau\ \alpha\rho\chi\eta\ \tau\ \chi\rho\iota\sigma\tau\iota\varsigma$, sermo initij Christi; hoc est, sermo qui initium esse debet doctrinæ de Christo, à quo in doctrina de Christo initium faciendum est. Unde & Catechetæ ab Athanas. Orat. III. advers. Arian. f. 405. dicti sunt $\lambda\omicron\gamma\omicron\ \epsilon\chi\ \delta\epsilon\chi\eta\ \alpha\pi\epsilon\lambda\theta\omicron\upsilon\tau\epsilon\varsigma$, verbum à principio seminantes; cum paulo ante primam Christianismi institutionem tradere, $\kappa\alpha\tau\eta\chi\epsilon\iota\upsilon\ \alpha\rho\chi\eta$ esse dixisset. Hac etiam vocis $\alpha\rho\chi\eta$ acceptione scripsit Origenes $\omega\epsilon\lambda\ \delta\epsilon\chi\eta\ \alpha\upsilon$, h. e. de principiis, sive elementis doctrina Christiana, libros 4. de quibus Euseb. Hist. Eccles. l. 6. c. 23. quos Baronius Annal. t. 2. ad An. Chr. 232. n. 3. f. m. 374. ex amulatione cum Longino Philosopho, sibi notissimo, qui etiam de Principiis eodem tempore commentarium ediderat, eundem scripsisse opinatur.

§. II. Quando vero ad vocem $\delta\epsilon\chi\eta$ additur (3.) $\tau\ \lambda\omicron\gamma\omicron\ \tau\ \lambda\omicron\gamma\omicron\ \tau\ \theta\epsilon\omicron\varsigma$, sermonum DEI; observamus, quod, Erasmo in Not. ad h. l. notante, Valla reddiderit eloquiorum; vocem Græcam respiciendo probante Estio. Cappellus vertit oraculorum DEI. Coincidunt quoad rem hæc interpretationes. Et $\lambda\omicron\gamma\omicron\ \tau\ \theta\epsilon\omicron\varsigma$ significare scripturam sacram, notum est ex Rom. 3. 2. quæ etiam $\lambda\omicron\gamma\omicron\ \tau\ \theta\epsilon\omicron\varsigma$, verbum DEI, appellatur Ebr. 4. 12. $\lambda\omicron\gamma\omicron\ \tau\ \zeta\omega\upsilon\ \theta\epsilon\omicron\varsigma$, verbum viventis DEI, 1. Petr. 1. 23. Notatur itaque per $\tau\ \lambda\omicron\gamma\omicron\ \tau\ \theta\epsilon\omicron\varsigma$ scriptura sacra, quæ Gregorio Nazianzeno etiam

B $\theta\epsilon\omicron\varsigma$

ἑλιων λογίων elogio, & nomine venit. Docetur vero, quod *σοιχεῖα τῶ ἀρχῆς*, *elementa* inity Christianæ institutionis, & capita Catechetica, vel à quibus in rudioribus, quos Catechumenos appellare possumus, informandis initium faciendum est, pertineant ad *λόγια τῶ Θεῶ*, ad eloquia DEI, & DEI oracula sint; dogmata ex Scriptura S. desumpta, & in ea contenta, quorum Spiritus Sanctus autor est, 2. Pet. 1, 21. ita ut *principium cognoscendi* doctrinæ Catecheticae genuinum, & adæquatum, sit Scriptura sacra, *verbum DEI scriptum*, non *traditum*, quod in Catechesi sua censuit *Canisius*; & *Catechismus* hinc non immerito pro *Bibliis Laicorum* censeretur, prout etiam Ecclesiae nostræ de *majori & minori Catechismo B. Lutheri* iudicaverunt in *Epit. Form. Concord.* p. 571. ipso *Luthero* in Præf. Catech. majoris *Catechismus* habente pro summa, & *Ἰππεμῆ* totius *sacrae scripturae*, ita ut non immerito *parva biblia* nuncupatus fuerit. Maneat hæc gloria nostro Catechismo, quando de *Catechismo Romano*, ejus *Bellarminus* 3. de *Eccles.* c. 5. §. prob. secund. *non exiguam in Ecclesia sua auctoritatem esse* falsus est, præfatio editioni *Fabriciana* præmissa gloriatur, quod desumptus sit ex *decretis Concilij Tridentini*. Deinde monetur ab Apostolo, quod non omnia *λόγια τῶ Θεῶ*, *eloquia DEI*, atque dogmata in Scripturis S. contenta, *principium essendi* sint doctrinæ Catecheticae, *σοιχεῖα*, *elementa*, scil. ex quibus Catechismus constat, cum non omnia ad *τῶ ἀρχῆς*, ad initialia dogmata, ad rudimenta Catechetica, à quibus initium in rudioribus informandis faciendum, & quorum isti capaces sunt, pertineant. Distinguit nimirum Apostolus, notante etiam *B. D. Seb. Schmidio*, *Comm.* p. 576. inter partes *doctrinae Christianae in scriptura sacra*, quæ sunt *τῶ λόγια τῶ Θεῶ*, *comprehensas*, dum quadam ad *initium*, quadam ad *progressum* pertinent. Illæ sunt *σοιχεῖα ἀρχῆς*, *elementa initialia*, rudioribus primo omnium proponenda dogmata; hæc vero sunt *τελειότης*, *perfectionis capita*. Inter quæ dogmata cū sit articulus de Christo, hinc Apostolus *Ebr.* 6, 1. τῶ ἀρχῆς τῶ *χρῆστῶ λόγον*, *sermonem inity Christi*, h. e. tractationem doctrinæ initialis de Christo, à qua in articuli hujus explicatione, & propositione, initium faciendum, quæque

Cate-

Catechumenis tradenda est, appellat Catechetica disciplina, quam ante appellaverat στοιχεῖα τῆς ἀρχῆς τῶν λόγων τοῦ Θεοῦ, *elementa initij eloquiorum DEI, h.e. illorum dogmatum, à quibus initium doctrinæ Christianæ elementaris, sive Catecheticae, faciendum.* Aliud itaque sunt λόγια τοῦ Θεοῦ, dogmata sc. in Scripturis sacris contenta; aliud ἀρχὴ τῶν λόγων τοῦ Θεοῦ, initium istorum divinatorum dogmatum, h.e. doctrina initialis, tam ratione dogmatum ipsorum, quorum alia sunt initialia, veritates Theologicae elementares; alia sublimiora, acroamatica, provectioribus & exercitioribus cognoscenda; quam ratione modi tractandi unius ejusdemque dogmatis, & articuli, qui vel catecheticus est, & initialis, vel acroamaticus, sublimior, & accuratior, prout articulus de Christo & Catechetice, & acroamaticæ tradi potest.

§. 12. Insinuat præterea D. Paulus, ita distinguens, simplicitatem doctrinæ Catecheticae, quæ remoto omni subtiliori, & sublimiori dicendi genere, plane, perspicue, breviter, omittis difficilioribus, & minus necessariis, prima Christianæ fidei capita & elementa continet, & rudioribus tradit. Sunt enim capita hæc Catechetica στοιχεῖα τῆς ἀρχῆς τῶν λόγων τοῦ Θεοῦ, elementa initialia doctrinæ Christianæ, quæ proin facilia quam maxime, prout nimirum materiæ tractandæ incipiens permittit, esse debent, ne difficilioribus, sublimioribus, & subtilioribus, quam ut capi ab incipientibus queant, rudior intellectus opprimatur, à cognoscendo deterreatur, & sic opera perdat. Est enim ἀπεροχὴ λόγου ἢ σοφίας, eminentia sermonis aut sapientiæ ad fidem parum faciat, monente Paulo 1. Cor. 2, 1. præcepta tamen διδακτικά, ceu externum aliquod subsidium, in tradenda Theologia non penitus rejicienda esse, ipse Apostolus suo docet, nostro loco, exemplo, qui ad Corinthios prius ita scripserat 1. Ep. 3, 2. γάλα ὑμῶν ἐπόπισα, καὶ βρεῖμα, ἔστω τὸ ἕδωμάς, lactem potu vos alui, & non cibo, nondum enim poteratis ferre. Ipse etiam Christus, imbecillitatis suorum discipulorum habens rationem, ἐν πικρῶν, inquit, ἔχω λόγον ὑμῶν, ἀλλ' οὐ δύναμαι βασίλειον αὐτῶν, multa habeo qua vobis dicam, sed non potestis portare nunc, Joh. 16, 12. monente

B. Augustino tom. IV. cont. mend. ad Consent. l. c. 10. veris audiendis eos Salvatore minus idoneos judicavisse. Ad simplicius hoc doctrinæ genus, quod in rudiores & Catechumenos cadit, respiciens Theodoretus h. l. στοιχεῖα τῶν ἀρχῶν τῶν λογίων τοῦ Θεοῦ, *elementa exordij sermonum DEI*, interpretatur per ταπεινοτάτους ὡς τὴν χειρῶν λόγους, *humiliores de Christo sermones*, sublimiori & difficiliori Christianæ fidei disciplinæ illos opponens, quæ mentem exigit perfectiorem, ut loquitur Theophylactus h. l.

§. 13. Eandem simplicitatem capitum Catechetico- rum, & sic ipsius Catecheseos, urferunt etiam, & in Catechizando adhibuerunt prisca Ecclesiæ Doctores. Ex Latinis Tertullianus c. 6. f. m. 480. Novitulos, inquit, divinis sermonibus aures rigare incipere, atq. catulos infantia adhuc recentis, nec perfectis luminibus incerta reptare. Ex Græcis vero Clemens Alexandrinus in Pædagog. l. 1. c. 6. verba Pauli 1. Cor. 3, 2. γάλα ὑμῶν ἐπιπνοα, *lactis potu vos alui*, ita explanat: Κατήχησα ὑμῶν ἐν χειρῶν αἰσθητῶν καὶ ἀληθειῶν, καὶ αὐτοφύει τὸ φῶς τῆς πνευματικῆς, *Catechizavi vos in Christo simplici & vero, & per se naturali alimento spiritali*. Unde sicut Paulus Ebr. 5, 12. c. 6, 1. dogmata Christianæ doctrinæ distinxit in στοιχεῖα τῶν ἀρχῶν τῶν λογίων τῶν Θεοῦ, *elementa inity sermonum DEI*, quæ sunt capita doctrinæ Catecheticae simpliciora, & minus difficilia; & dogmata τελειότητος, *perfectioris*, quæ illorum sunt, qui per habitum sensus exercitatos, τὰ αἰσθητικὰ γυμνασµατὰ, *habent, ad dijudicationem boni & mali*; ita in sequentibus temporibus Christiani quoque suæ doctrinæ duas fecerunt partes, τὰ κηρύγματα, *præconia*, quæ publicabantur, & τὰ λόγια, *quæ silentio tegebantur*, ceu ex Basilio, Gregorio Nazianzeno, Chrysostomo, & aliis, observat doctissimus Casaubonus Exercit. ad annal. Baron. XVI. n. 43. p. m. 491. & non nisi perfectioribus nota erant. Ad illa pertinebant στοιχεῖα τῶν ἀρχῶν τῶν λογίων τῶν Θεοῦ; ad hæc λόγια τελειότητος, quæ σοφίσματα dicebantur, *arcana*, ut loquitur ex scriptoribus Ecclesiasticis Casaubonus, temere non vulganda: de quibus neq. in familiaribus colloquiis, neq. in Catechesibus, neq. in concionibus verba temere faciebant coram paganis, Catechumenis, aut quibusvis aliis non initiatis.

§. 14. Illustrat dicta (4.) A postolus simili, cum rudimenta Christianæ religionis Catechetica lacti comparat, contendens *ἄρειαν ἔχοντες τὸ διδάσκειν πῶς τὰ στοιχεῖα τῆς ἀρχῆς τῶν λογίων τῆς Θεῆς*, illos, qui opus habent, ut in elementis Christianismi, quæ vel non sufficienter didicerunt, vel oblivioni majori ex parte rursus reddiderunt, *πάλιν, πέρυ, informentur*, similes factos esse illis qui lacte indigent. *γεννατε*, inquit, *ἄρειαν ἔχοντες γάλακτος*, facti estis indigentes lactis. Non equidem me latet, Coccejum Comm. in Epist. ad Galat. c. 4. 3. §. 14. verba Pauli, lacte opus habere & non solido, sic interpretari, quod sit posse ferre umbras, & figuras, & res corporales distinens, & animum occupantes, & ipsam Evangelij claritatem ferre non posse. Verum cum Cappelli commentum hæc glossa sapiat, isti opponimus, quæ huic jam supra sunt opposita. Rectius per *γάλα, lac*, intelliguntur prima Christianæ religionis capita Catechetica, atque rudimenta, cum quibus iste liquor comparatur. Quemadmodum enim lacte nutriuntur infantes, non cibo solido, ut adultiores atque robustiores, qui lacte non necessario indigent, ut infantes; ita qui sunt in Christianismo rudes, *ἀπείροι λόγῳ δικαιοσύνης*, imperiti sermonis justitia, ψ. 13. lacte indigent Catechetico, ut prius elementa prima fidei Christianæ, in qua infantes sunt, discant, antequam ad dogmata sublimiora, & difficiliora audienda admittantur, ceu quibus cum fructu audiendis idonei non sunt, cum non lactis, ut *τὰ στοιχεῖα τῆς ἀρχῆς τῶν λογίων τῆς Θεῆς*, ut elementa initiij sermonum DEI, sed *συνεῖς τῶν Θεῶν*, solidioris cibi, instar ista sint. Urget hanc interpretationem non solum simplicitas contextus, sed etiam probat eandem consensus veterum & recentiorum. Clemens Alexandrinus certe Pædag. l. 1. c. 6. f. 98. non solum *νεωστὶ κατηχημένους* *νηπίος ἐπι ἐν Χριστῷ*, recens institutos atq; Catechumenos adhuc infantes in Christo dici posse notat, sed & *ἀρχικῶς τῆς εἰς Χριστὸν πίστεως τῆς ἐν τῷ γάλακτι* *νηπιότητά* εἶναι, fidei in Christum principium esse infantiam, qua per lac designatur, docet. Unde Theodoretus h. l. uti per *τὰ στοιχεῖα τῆς ἀρχῆς τῶν λογίων τῆς Θεῆς*, ab Apostolo notari dixit *παιδικότερος πᾶσι τῶν Χριστῷ λόγῳ*, humiliores de Christo sermones, ita pari ratione *τὸ γάλα, lac*, explicat

plicat per τὸ ταπνότερον καὶ τὸ δευτέρως λέγει, humiliora quæ de Christo Domino dicuntur. Nec aliter Estius, lactis nomine, inquit, vult Apostolus intelligi doctrinam humiliorem & faciliorem, quæ rudibus & imperfectis conveniat. Antehunc jam Cajetanus h.l. ita explicaverat: Quod dixerat, Paul. scil. elementa exordij, modo appellat lac metaphorice: ut ex metaphora etatis indigentis lacte, agnoscat se esse velut infantes. Hinc Cornelio à Lapide in Comm. dicitur instructio infirma, simplicis, & puerilis doctrina. Annuit Calvinus in Comment. super h.l. Lac, inquit, est elementaris doctrina initiandis rudibus. Ex nostris autem, ut complures alios mittamus, B. Seb. Schmidius in Comm. lac esse, ait, rudimenta Christianismi Catechetica, quibus nutriuntur, qui quasi infantes sunt in Christo.

§. 15. Metaphora vero hæc non solum quid Catecheticis, & Catechetica doctrina sit, eleganter illustrat, sed etiam ejusdem simplicitatem declarat, ceu Cornel. à Lap. etiam observavit, & è Patribus, Scholæ Alexandrinæ Catecheta antiquissimus, & doctissimus, Clemens Alexandrinus l.c. verba Pauli 1. Cor. 3, 2. explicans, notavit. Commendatur lac ceu liquor salutaris & purus, ita simplex est doctrina Catechetica, quod non aliunde, quam ex uberibus Veteris & Novi Testamenti sugere debeamus lac Catecheticum. Quo non sine rudimenta hæc etiam στοιχεῖα τῆς διδασκαλίας λογίων τῶ θεῶ, elementa inity sermonum DEI dici, supra jam notavimus. Additamentum enim traditionum simplicitas doctrinæ Catecheticae ignorat, quæ non constat ex verbo DEI tradito & scripto, Catechismus Romanus licet Præf. doceat, quod omnis doctrina ratio, quæ fidelibus tradenda sit, verbo DEI continetur, quod in scripturam traditionesq; distributum est. Quæ enim non in verbo scripto inveniuntur traditiones, merito non aliam, quam humanam hodie obtinent auctoritatem, si vel maxime, quod ad traditiones has requirit Coturius in Epitom. Controv. demonstr. 4. p. 102. ab Apostolorum tempore, in Ecclesia vera primitiva, per continuam successionem hæcenus fuissent observata; cum non de illis sufficienter constet, ne quidem per Ecclesia presentis vocem, contendat id licet Southwellus Anq. Fid. Disp. 3. c. 10. n. 172. quod

quod sint λόγια τῆ Θεῆ, quæ sunt omnis Catecheticae doctrinae principium, & proin etiam non debeant pari pietatis affectu, atq; reverentia, cum verbo scripto suscipi, ut præcipitur in Trid. Concil. sess. 4. Verbum autem traditum, quod verbi scripti non frater modo, sed & pater sit, certius etiam, & ad nos per vivum Ecclesiam canalem fidelius derivatum, quam illud, ut contendit Casar Baptista Comitinus Select. Fid. Controv. disp. 3. c. 2. n. 3. & c. 3. facilius asseritur, quam probatur. Βιβαίωτερ & certe dicitur ὁ λόγος περὶ Φηλίου, 2. Pet. 1, 19.

§. 16. Præterea simplicitas Catechetica non debet patrocinari ignorantia. Finis enim Catecheticae institutionis non est reddere Catechumenos simplicistas, vel in ignorantia eosdem relinquere. Vehementer in hanc SIMPLICISTARUM hæresin invehit B. Athanasius t. 2. Opp. f. 325. quorum dogma erat ἀπλῶς πισθεῖν πῶς λέγουσι, ἢ μὴ καὶ νοεῖν τὸ πρῆπον ἢ ἀπιστεῖν, simpliciter iis qua dicuntur, credendum, nec considerandum, quid conveniat, & quid non conveniat. Δέχεσθε, dicebant, ἀπλῶς τὰ λεγόμενα, καὶ μηδεὶς ἐξετάζτω, τί πρῆπον ἐν αὐτοῖς, ἢ τί ἀπιστεῖς, amplectimini simpliciter qua dicuntur, nec inquirat quisquam vestrum, quid in iis conveniens sit, quid inconveniens. Aliter Christus præcipit: Ὁ ἀναγνώσκων νοεῖτω, qui legit intelligat. Non cæca, sed illuminata luce divini verbi fides esse debet, quæ sciat, quid credat, ut dicere liceat cum Paulo 2. Tim. 1, 12. οἶδασ ἢ πέπισθα, καὶ πέπισμαι, novi cui credidi, & certus sum &c. Ἀσφάλεια requiritur ἢ περὶ ὧν κατηχηθῆμεν λόγων, certitudo eorum, de quibus catechetice edocti sumus, Luc. 1, 4. Probandi sunt spiritus, ut aliorum, 1. Joh. 4, 1. ita & Catechetarum. Et cum λόγιον τῆ Θεῆ hæc sit virtus & efficacia, ut sapientem reddant simplicem, non pati debet Catechumenus, Audiens licet sit, ut quidvis sibi obtrudatur, ne venenum pro lacte porrigatur, aut cæco obsequio cuncta admittat, qualiacunque fuerint. Mente ergo illuminata intelligi etiam debet doctrina Catechetica, nec cuilibet decet aurem præbere. Vere B. Athanasius l. c. f. 326. quod si omnibus, ἀπλῶς, simpliciter aures accommodaverimus, & nec enascentem ex eorum dictis absurditatem consutaverimus, nec dogmatum pugna, qua ex perversa illorum interpretatione

oritur,

oritur, solutionem efflagitaverimus. τίς ἄρα λόγῳ ἐπὶ ἀληθείας ὁδὸν; τίς οὐκ ἐμπροσθέν ῥαδίως εἰς καιροδοξίας κρημνὸν, μὴ σκωπῶν ἢ καινοτομίας τὸ ἀπεπέσ, μήτε ἀπιστῶν τῆς ἀληθείας τὸ πρῆπεν; quis in posterum amplius veritatis viam inveniet? quis non facile in precipitium haereticorum dogmatum incidet? non considerans novorum dogmatum inconvenientiam, nec veritatis exigens convenientiam? Fundamentum hujusmodi Catechizationis est INDIF- FERENTISMUS in rebus fidei, & religionis, cujus proles APO- STASIA. Exemplum ineptæ hujus simplicitatis exhibet Hiero- nymus. contra Luciferian. t. 3. opp. f. m. 64. de quodam Lai- co, qui simpliciter in Patre, Filio & Spiritu Sancto, credens, ab Arianis, quos ita simpliciter accesserat, baptizatus est: In quam impietatem merito in vectus B. Vir, quæ est ista quæso, inquit, simplicitas, nescire quid credas? Simpliciter credidit: sed quid credidit?

§. 17. *Genuina Catechetica simplicitas etiam non consti- tit in Fide implicita.* Plus justo illi contrahunt σοφία ἢ ἀρχὴς ἢ λόγων τῷ Θεῷ, qui Laicos rogatos ab haereticis, cur credant v. g. Christum esse presentem in Eucharistia? responderi debere ajunt, quia id credit, & credidit Ecclesia omni seculo: Cornel. à Lap. ad 1. Pet. 3. Nam hoc ipso Catechetica simplicitas rudiorum, & Catechumenorum, resolvitur non solum in fidem alienam, cum justus sua vivat fide, Habac. 2. 4. sed & in ignorantiam formalem, nisi quæ implicite credit, etiam alias cognita ha- beat. *Implicite credere*, inquit Suarez. de virt. Theol. disp. 12. l. 3. p. 163. est credere in alio tantum: quia quod sic creditur, re- vera non expresse cognoscitur, neq; intellectus format proprium & dis- tinctum conceptum propositionis. A fortiori hinc impugnatur assertio Southwelli, *Analyf. Fid. disp. 3. n. 162. p. m. 188.* cum ne- gat, in rigore necessarium esse, ut rudes isti & illiterati sciant evi- denter, fidem suam à tota Ecclesia doceri. Non solum enim non dicere possunt, se credere quæ credit Ecclesia, cum ignorant, an sic illa credat; sed majori laborant ignorantiam quam illi, qui credunt à tota Ecclesia suam doceri fidem. Paulus Apo- stolus certe in Ebræis actualem ignorantiam, non fidei impli- citæ absentiam, reprehendit, & quod imperiti sint sermonis jus- sicia, Ebr. 5. 13. & sic rudes, & in capitibus doctrinæ Christia- næ

næ illiterati, ut prima elementa Catechetica illis rursus proponi debeant, ut ea cognoscant, ceu quorum desituntur notitia. Explicite ergo capitum religionis Christianæ initium cognitionem cum à Catechumenis requirat Apostolus, patet quid de simplicitate, *Azorio Instit. Moral. P. I. l. 8. q. 8.* probata, habendum, cum, qui credunt DEUM esse magnum quendam principem, sive regem humana effigie præditum, in excelsa corporali solio sedentem, ab hæresi excusari affirmat, modo credant implicite, quicquid credit Ecclesia. Sane quam periculose hoc dictum sit, nemo non videt. Sic enim Turcarum, Gentilium, & omnium Hæreticorum monstra imbibisse non tibi nocuerit, modo simul credas, quicquid credit Ecclesia. Putemus ne fidem implicitam, quæ formaliter ignorantia est, nos magis coram DEO excusare, quam hæretici errores, & alia impietatis monstra, quibus explicite addicti sumus, nos coram eodem accusant? Patet etiam quid habendum sit de asserto Stephani à S. Paulo, Ordinis Frat. B. Virg. Mariæ de monte Carmelo, S. Theol. Profess. in Theol. Moral. tract. 3. de Fid. disp. 1. dub. 3. §. 18. p. m. 173. cum non est improbabilis, inquit, opinio, negans ullum mysterium esse necessario necessitate mediæ credendum ab adultis, præter existentiam DEI. Ne dicam, quod si hæc simplicitas sufficit, ut implicite credere sit vere credere, etiam existentiam DEI is vere credere dici possit, qui implicite tantum illam credit, si vel maxime explicite illam non crederet.

§. 18. *Simplicitas Catechetica* etiam non sono verborum solo contenta est, nec nudis acquiescit verbis, sed cum sensu innato, non artificiose illato, eoque orthodoxe determinato, ad quem omnino descendendum est, & à rudioribus satis recte, & perspicue intellecto, hoc elogio gaudet. Non enim Syncretica, nec cõthurnata, omnibus, aut variis religionibus apta esse debet, sed uni propria. Homogenea quippe debet esse Catechetica institutio institutioni Epopicæ, ἡ ἐποπείᾳ, uti appellatur à *Clemente Alexandrin.* 1. Stromat. f. 354. & 2. Stromat. f. 381. & alibi, quæ perfectioribus debetur, qui in rerum Theologicarum cognitione jam ulterius proveci sunt;

C

à qua

à qua non substantia, sed gradu, & quantitate luminis diversa est, monente *Dannhavv.* in *Hodof.* p. 14. *Λογιων* & *Θεσ* non nisi unus, isque certus sensus est. Et iniqui sunt, qui verbum *DEI* scriptum naso cereo, vaginæ, quæ quemlibet gladium admittat, comparant. Pari ergo ratione ob homogeneitatem τῆς σοφίας ἀρχῆς τῆς λογίων & Θεσ, non ambigua, nec variis religionibus accommodata esse debent, sed orthodoxa explicatione ex scripturis, ex quibus petita sunt, determinata. Imo ne puerilis quidem ætas nuda tantum semper discere verba debet. Non enim verisimile est, eximie inquit *B. D. Dannhavverus*, *Theol. Conscient.* t. I. p. 434. *Loidem* & *Eunice Timotheo* sola verba, sine omni omnino sensus facillima explicatiuncula instillasse. Sunt & pueri, puellæque capaces imaginum, & exemplorum biblicorum, quibus verba Catechetica aliquatenus illustrari possunt. Sensus determinatio ex scripturis faciendâ ideo necessaria est, ne adversarii ad nostras loquendi formulas suas attemperantes, cum orthodoxis eadem se capita Catechetica habere fingendo, de fundamentalis consensu gloriantur, ubi fundamentalis partes dissociat dissensus. Reformatis id familiare esse, questi sæpe sunt nostrates, ostenditque *Schlüsselburgius* in *Theol. Calvinist.* quod, uti loquitur in *Præfat. Apolog. pro Form. Conc. in tam variis sese figuras verterint, ut multis, etiam magnis & sapientibus hominibus imposuerint.* Scripsit etiam *B. D. Menzerus* nolter *Triad. dissert.* qua *Synodi Dordracene* lingua *Lutherana*, & mens *Calviniana* de *Prædestinatione* describitur. Simile specimen, quoad artic. de *Persona Christi*, edidit *D. Fabricius*, *Heidelbergensis* quondam *Theol.* in *Medit. de Controv. circa Perf. Christi.* Ne dicam quod *Zanchius* olim in certamine de *S. C. & Prædestinat.* cum *B. D. Marbachio*, dixerit, se non detrectasse subscribere *Augustana Confessione*: modo orthodoxe intelligatur. Ipse etiam *Hoornbeek* *Sum. Controv.* l. 9. p. 633. confitetur, suos passim non detrectasse subscribere *Augustana Confessione*, pro sensu *Auctorum* magis, (in quo tamen plane fallitur) quam verborum, & in suorum sententiam haud difficulter explicanda. Antiquiora etiam si consideramus tempora, cognoscitur, falsam hanc, fallacem, & larva-

ram

tam simplicitatem, qua litera fuit probata, neglecto sensu determinato, fuisse usurpatam, frequentatamque, ita ut sub literali confessione pessimæ hæreses latere quæsierint. Id qui fieri possit, Hieronymus advers. Luciferian. f. 64. monuit. Factum enim Laici, de quo etiam supra, examinans, qui juxta suam fidem credens, ab Ariano baptizatus est, quod similiter in Patre, Filio & Spiritu Sancto crediderat. Quid credidit, inquit, simpliciter scil. credendo? certe aut tria nomina audiens, tres Deos credidit, & idololatra effectus est: Aut in tribus vocabulis trinominem credens DEUM, in Sabellij hæresin incurrit. Aut edoctus ab Arianis, unum esse verum DEUM Patrem, filium & Spiritum Sanctum credidit craturas.

§. 19. Sub literali etiam approbatione Symboli Apostolici, & jejuna solius literæ symbolicæ, & sic etiam Catecheticæ, professione, videntur cœtus se confociare, qui, si litera cum sensu, ex scripturis recte determinato, simul consideratur, vel cum sensu, sub quo quilibet verba illius admittit, simul sumitur, maximo dissensu inter se dissentiunt. Docent id tabulæ symboli Apostolici, secundum sensum & disciplinam Evangelicorum, Romano Catholicorum, & Reformatorum, expositi, quas exhibet B. Dannhavverus in Sigal. p. 175. quibus add. ejusdem Salve Reformat. p. 230. sqq. Hülfemann in Judic. de desid. conc. §. 1. Ex antiquissimo Ecclesiæ Doctore Irenæo etiam constat, sub hac verborum simplicitate, & approbatione literæ, qua, ut sonat, accipitur, genuini sensus non habita ratione, Hæreticos priscos latere conatos fuisse, & piis illulisse. Queritur enim de illis l. 3. c. 18. quod, *etsi lingua consententur unum Jesum Christum, semetipsos derident, aliud quidem sentientes, aliud vero dicentes.* Quæ passim repetiit, monens l. 3. c. 19. quod *similia loquentes fidelibus, non solum dissimilia sapiunt, sed & contraria, & per omnia plena blasphemiis.* Eleganter hos Vir Apostolicus illis similes esse dixit, qui aqua mixtum gypsum dantes pro lacte, per similitudinem coloris seducunt. Subscribit cordatus inter Reformatos Theologus, Andreas Rivetus, Animadvers. in annot. Hug. Grotij in Callandri ad art. 10. f. m. 30. male cedere,

monens, formulas, & sic etiam Catecheses, in quibus sunt phrasæ & verba, quæ ab utraque contententium parte, ad suum sensum trahi possint. Nec in verbis hærendum, ut vera fiat reconciliatio, sed in sensu & rebus ipsis. Hæc vir inter suos doctissimus.

§. 20. *Simplicitas Catechetica* etiam non excludit *scrutinium S. literarum*, nec est conjuncta cum *cæca obedientia*, de qua supra aliquid dicere incepimus. Sunt equidem τὰ ἁ Θεῶ λόγια, DEI eloquia, ex quibus σοιχητικά Catechetica desumpta esse debent, αὐτόντως: Conf. Dorsch. in Kirch. dev. c. 2. §. 150. fq. p. 517. quibus propter autoritatem DEI revelantis fidem habemus: Verum non cæca id accipitur obedientia, quod ex iisdem probatur, ratione sub obsequium fidei, ex λογίσις ἁ Θεῶ conceptæ, captivata, 2. Cor. 10, 5. Rom. 16, 26. Etiam Catechetarum spiritus probandos esse, supra ex 1. Joh. 4, 1. monuimus. Laudanturque Catechumeni Berroenses, quod quæ Paulus prædicavit, non cæca obedientia acceperint, sed ἀναειρότες τὰς γερφάς, ei ἔχου τὰ ἁ ἁ, scrutantes scripturas, an hæc ita se haberent, Act. 17, 11. Imminuit hæc Christianorum in salutis negotio jura Thomas Henrici, cum in Anatom. A. C. art. 8. p. 275. ita loquitur: *Simplices Christi ovicule vocem Ecclesia sine ulla exceptione audiunt, hædi autem petulci absque ista conditione audire detrectant: si ipsorum judicio Ecclesia recte docere videatur.* Petulci enim hædi sic etiam Berroenses fuissent, judicantes de doctrina Pauli. Ἐχομεν vero θεοκλιπτον ἁ θεοφληκτον λόγον, ipsa etiam voce Patris cælestis, in respectu nimirum & ordine ad fidem nostram fundandam, cui etiam benefacimus attendentes, præ illa, uti fecerunt Judæi fideles: Ergo & præ voce Ecclesiæ. Atqui, pergit Henrici, ovinam simplicitatem in audiendis Ecclesiæ Præpositis commendat Apostolus, 2. Cor. 11, 3. Utique, sed non cæcam. Sunt oves, sed non brutæ. Judicant non superbo, judicioso, confuso, sed docili judicio, ad lupi potius fugam, quam bellum composito; quod etiam juxta vices temporum variare non negamus. Conf. B. Dannhavy. Hodof. p. 133. Salv. Reform. p. 632. Styl. Vind. p. 272.

§. 21. *Simplicitas Catechetica non excludit sufficientem dogmatum, quæ sunt ad salutem creditu & scitu necessaria, cognitionem, nec vitæ Christianæ informationem, & genuinæ pietatis præcepta. Religionis nostræ sunt duo præcipua capita, ex quibus illa constat, & quæ ἐκ τῶν ἑὸς Θεοῦ λόγῳ explicantur, Fides, & Charitas. Gal. 5,6. Utriusque ergο στοιχεῖα & ἀρχῆ, elementa, & dogmata initialia, Catechumenis & rudioribus explicanda, in Catechesi contineantur necesse est. Unde non Symbolum tantum Apostolicum, sed & Decalogus, & Oratio Dominica, referuntur inter partes ejusdem, quo vere parvorum bibliorum, sive bibliorum laicorum elogio gaudere possit. Lac dicitur doctrina Catechetica. Lacte ergo sicut infans ita nutritur, ut vivat, vitamque conservet; ita lac Cateheticum vitam spiritualem, ad salutem animarum, conservare ex se aptum est. Contineat ergo necesse est στοιχεῖα, & ἀρχῆ illorum, quæ sunt ad salutem necessaria scitu, credituque, fieri etiam à Christianis debent, & sperari possunt. Præclare hæc etiam monuit B. Lutherus in Explic. Cantic. Mos. t. IV. Altenb. f. 787. universam Theologiam Catechismo contineri affirmans. Add. Form. Conc. Præfat. p. 571. sq. Necessaria hæc non tantum sunt talia ratione termini, & beatæ analysos, sed etiam ratione viæ, & ratione initii credendi. D. Dannhavy. contra Borthenium suum, necessitatem hanc non nisi ratione termini, & exitus ex hac vita æstimantis, distinguit inter dogmata necessaria in primordio, in luctu & cursu, & in termino. Styl. Vind. p. 263.*

§. 22. *Sequitur hinc, quod simplicitati Catechetica etiam non simpliciter repugnet cognitio sententiarum erronearum, seu ἀνὴθισι, generalior quædam, & in summa, cum generali quodam elencho, quo à primo lactis usu, præter salutarem, quem imbibunt, etiam succum, seu liquorem, vitæ spirituali noxium quoq; dari sciunt, à quo sibi cavendum esse cogitent. Puerili sane ætati, præter bona, etiam venenum dari, quam sollicitè inculcamus, quo illud fugiat, atque ab eo sibi caveat? Quidni liceat, cum prima elementa doctrinæ veræ proponuntur rudioribus, si per ætatem capaces sunt, iisdem*

dem etiam explicare, dari errores noxios dissentientium, solite cavendos, nec omnium hominum eandem esse fidem, & de capitibus Catecheticis sensum, quo mature contra *Indifferentismum, apostasiam, & errores* muniantur. Gradualis est simplicitas Catechetica: Major respectu ætatis puerilis, cui congruit *Catechismus Lutheri minor*; minor, cum diffusiori dogmatum Catecheticorum traditione conjuncta, respectu ætatis juvenilis, cui responderet *Catechismus Lutheri major*. Severe sane etiam puerili ætati unicum cœli & terræ DEUM, non Gentilium idola, inculcari præcepit *JEHOVA*, Deut. 6, 7. ut à lacte materno ab idololatria abhorreret. Non minus ex Historia Ecclesiastica etiam constat, Catechumenorum rudiorum Catechizationes sic fuisse institutas, ut contra Gentilium, & grassantes Hæreticorum impietates, ab initio Christianismi sui munirentur. Manifestum hoc est ex *Epiphani* Ancorat. T. 2. f. 122. sqq. qui duplicem formulam professionis fidei Catechumenis, qui ad baptismum se comparant, proponi solitam exhibet: Alteram quæ à Concilio Nicæno vigerat; alteram à priori diversam, quæ in sequentibus temporibus, invalescentibus sub Valentiano, Valente, & Gratiano, hæresibus, *πρὸς τοὺς ἀνανήθους αἰρετικούς*, adversus prodeuntes identidem hæreses, cum priori, *μολύσσει τοὺς τῷ ἀγίῳ λυτῶν πνεύματι*, iis præsertim, qui baptismo initiandi erant, proposita fuit, ut eam profiterentur. Ex quo constat, Catechizationem istis temporibus sic fuisse institutam, ut in elencho hæreticorum dogmatum etiam Catechumeni informarentur, atque cum salutiferæ veritatis cognitione, etiam notitiam hæreticæ pravitatis imbiberent.

§. 23. Patet ex hoc, *Catechetica simplicitatem* non respicere augmentum credendorum, ita ut sufficientia doctrinæ, quæ in Catechesi continetur, uti non est omisiva dogmatum necessariorum, ita nec sit exclusiva augmenti, extensionis, & expressioris additionis articulorum fidei, virtualiter in doctrina contentorum, & quod sic fidei fovendæ, augendæ, contratentationes, errores, & hæreses muniendæ, & confirmandæ necessitas urgebat, evolutorum. Non intendit Cate-

Catechetica simplicitas Christianos tantum ejusmodi *Compendiarios* facere, ut ea præcise sciant, quæ sunt necessaria scitu sub tempore exitus ex hac vita. Per totam quippe vitam, per tot, & tam varios casus, atque rerum discrimina, fidem salvam cupit, & quæ ad fidem & pietatem pertinent illa tradit, ita ut Catechetica dogmata augeri, & aliquid illis addi interdum, sic exigente necessitate, non repugnet. Manifestè hanc Ecclesiæ praxin docet collatio symbolorum, de quibus ex *Epiphanio* modo egimus. Posterius enim, urgente sic periculo ab Hæreticis imminente, longe uberius est priori. Patet item ex Catechizatione, ante motum certamen Arianum usurpata, & ab *Athanasio* t. I. opp. Orat. III. contra Arian. f. 405. descripta, si cum professione fidei Nicænæ, à Catechumenis facta, quam *Epiphanius* in Ancorat. t. II. opp. f. 122. exhibet, conferatur: Ne de additione *Filioque*, de Spiritu Sancto, procedente à *Patre Filioque*, in Occidentalibus Ecclesiis symbolo Constantinopolitano facta, quid dicam, de qua vid. *D. Calov.* in Syncret. C. p. 48. *Dannh.* Styl. Vind. art. 2. p. 13. De adjectione vocis *Hujus* in symbolo Apostolico, quando in eo *carnis resurrectio* traditur, vid. *Rufin.* Symbol. apud *Hieronym.* t. II. opp. f. m. 67. De hac *extensione fidei*, ejusque in certis casibus necessitate, scriptis amœbæis hoc nomine editis, disputarunt inter se superioribus annis *D. Dannhaverus*, & *D. Reinbothus*.

§. 24. Minime omnium simplicitas Catechetica ejusmodi dicitur *αὐτιμωρία*, ut in Catechetica cognitione elementari quiescere quis secum constituat, neque ad ulteriorem, distinctiorem, accuratiorem, & perfectiorem articulorum fidei cognitionem se tendere debere credat. Præcipit enim Apostolus profectum è lacte in solidum cibum, qui est *τελείων*, ἢ *ἀγίων* ἢ *ἐξὶν τῷ αἰσθητικῷ γυμνασμίῳ ἐχόντων πρὸς ἀγαθὸν καλῶτε καὶ κακῶ*, perfectorum, qui per habitum sensus exercitatos habent, ad dijudicationem boni & mali. Ad *τελειότητα*, perfectionem nos ferri, urget Apostolus Ebr. 6, 1. de qua alia occasione plura. Conf. interea *Hunn.* in Com. ad Eph. 4, 13. Ebr. 6, 1. cui addendus ipse *Calvin.* in Comm. Eph. 4, 13. Ebr. 5, 14. *Mulsemann.* Judic. de Desid. Conc. C. §. 14., *Dannh.* Salv. Ref.

p. 633. Styl. Vind. p. 251. sq. 261. sq. Conjungitur frugalitas hæc male sana cum supina quadam negligentia in cognitione rerum divinarum, & sapientia cœlesti proficiendi. Nascitur hinc contemptus Theologiæ polemicæ, quam sic vocant, neglectus controversiarum, & supina illas cognoscendi, tractandique ignavia, quæ impia ἀμέλεια proxime ad Syncretismum, Gallionismum, Indifferensismum, religionis, & veræ Ecclesiæ prodicionem ducit.]

§. 25. Excludit autem hæc simplicitas doctrinæ Christianæ elementaris, quæ sub *lactis* nomine, & simili, ab Apostolo commendatur, tractationis rerum *sublimitatem*. Humile enim, ut supra etiam diximus, dicendi, & docendi genus illa requirit, ut rudior ætas ea quæ dicuntur intelligere possit. Populari sermone, qui quid velis, perspicue significet, in Catechesi tradenda opus. Rejicit eadem *scrupulositatem* temerariam. Credere enim verbo DEI, non ei temere contradicere debet Catechumenus; mysteria etiam fidei pie mirari, non profane rimari. Quærere denique ut cognoscat, studio proficiendi, non ut rideat, & dicta exhibilet. Πίστις, inquit *Damasceus* l. 4. de Orthod. Fid. c. 12. ἐστὶν δοξολογία ἐργασμένη ἐν συγκοπήσει. Unde, quæ ejusdem Doctoris verba sunt, ibidem, Ἐι τίς τιςθε χειρογωγέμεθε, ἀγαθόν, καὶ παντοδύναμον, καὶ ἀληθές, καὶ σφόν, καὶ δικαίον τὸ θεῖον λογισθε, θεήσε πάντε λέσε, καὶ ἁμαλά, καὶ ὁδὸν εὐθείαν, si quis fide manuductus, bonitatem, omnipotentiam, veritatem, sapientiam, justitiam & divinitatem cogitet, inveniet omnia levia, & plana, & viam rectam: Id quod etiam in aliis verum est.



Fr. Edm.

St. Maria

St. Michael

St. Johannes

St. Peter

St. Paulus

St. Agathe

St. Barbara

St. Ursula

St. Katharina

St. Margareta

St. Verena

St. Walburga

St. Hildegard

St. Gertrud

St. Elisabeth

St. Anna

St. Margareta

St. Barbara

St. Ursula

St. Katharina

St. Margareta

St. Barbara

St. Ursula

I, A

